



**Oratio ad illustrissimum principem Ioannem Casimirum,
ducem Bavariae, comitem Palatinum Rheni, illustrissimi Ducis
Friderici, S. Romani Imperii Electoris et Archidapiferi Filium, è
Gallia pace & tranquillitate Regni constituta redeuntem**

<https://hdl.handle.net/1874/436941>

800 4
ORATIO
AD ILLVSTRISSI-
MVM PRINCIPEM IOANNEM
CASIMIRVM, DVCEM BAVARIAE, COMI-
tem Palatinum Rheni , ILLVSTRISSIMI Ducis
FRIDERICI, S. Romani Imperii Electoris &
Archidapiferi Filium, è Gallia pace &
tranquillitate Regni constituta
redeuntem: habita

A

Guilielmo Rodingo Heidel-
BERGÆ IIII. CAL. SEPTEMB.

ANNO. M. D. LXXVI.



HEIDELBERGÆ.
APVD IOANNEM MARESCHAL-
LVM LVGDVNENSEM.
M. D. LXXVI.



O R A T I O.

A D I L L V S T R S S I -

M V M P R I N C I P E M I O A N N E M

C A S I M I R V M , D V C E M B A V A R I A E ,

Comitem Palatinum Rheni, è Gallia

pace & tranquillitate regni

constituta redeuntem.



I V L L A unquā dies , Dux
Casimire Illustrissime, uni-
versæ terræ Palatinæ Rhe-
no Neccarōq; fœlix, fausta,
læta atq; exoptata extitit,
illa certè fuit , qua Deus
Opt. Max. te nobis salvum
& in columem è Gallia re-
duxit. Eo enim die vrbes Pa-
latinatus propè suis sedibus convulsæ, ad gratulan-
dum suo Duci procedere , imò mœnia ipsa & tecta
urbium ob sui principis adventum lætari videban-
tur. Ab illo die lætaris, exultas, triumphas Friderice
Sacri Romani Imperii Elector & Archidapifer Il-
lustrissime, pater patriæ clementissime: salvus enim
& in columis tibi rediit filius, quo amissō vitâ hanc
tibi acerbam fore existimabas. Lætantur, exultant,

triumphant multi Germaniæ & Galliæ Principes, Comites, Barones, Nobiles: qui Aulæ Palatinæ familiam partim cognatione, affinitate, & necessitudine attingunt, partim verò in periculis & bellis ad eam tanquam ad Asylum confugerunt: salvus enim & incolumis rediit is, qui antiquissimam illam Duxum Palatinorum familiam pietate & omni virtutum genere non solum æquare, verùm etiam longè superare cōtenderet. Lætantur, exultant, triumphant Ecclesiæ Palatinatus & Galliæ, omnesque boni sanctæ pietatis & religionis sincerae amantes: salvus enim & incolumis rediit is, cuius præsidio & virtute se in posterum à Tyrannis (Deo iuvante) propugnatū iri confidunt. Lætantur, exultant, triumphant Academiæ hujus inclytæ & florissimæ Doctores & alumni, & universa hęc letissimorum juvenum corona: salvus enim & incolumis rediit is, quo vivente & florente, Musas ipsas vivere & florere sibi persuasum habent. Lætantur, exultant, triumphant, Aulæ Palatinæ subditi & ciues, Rheni Neccariq; accolæ: salvus enim & incolumis rediit is, cuius salute suam contineri verè arbitrantur.

Lætaris deniq; exultas, triumphas tu ipse Dux Casimire Illustrissime. Eo siquidem die devotionis tuæ cōvictus es. An non enim, dic quæso, cum expeditionem susciperes, te, fortunasq; tuas pro salute Galliæ devovebas, & quasi cum Deo ipso tacite paciscebaris, vt, si pro Ecclesia Dei, pro totius regni Galliæ incolumentate, ocio concordiaque illam expedi

expeditionem profectionemque susciperes , te salvum atque incolumem domum ad tuos reduceret. En tam Heroicæ atque Christianæ devotionis , Dei immortalis beneficio , ipsorum Gallorum testimonio,totius Germaniæ & Galliæ consensu & plausu convictus es. Quamobrem Dux Casimire Illustrissime de victoria tua & re præclarè atque feliciter gesta, lætentur, exultent, triumphent Pater tuus Illustrissimus cum universa Aula Palatina, Germaniæ Principes, Comites, Barones, Nobiles, literati, Senatores, subditi, ciues & accolæ: Illi, inquā omnes lætetur, exultent, triumphent, & te equis albis, & curru inaurato, lauro capite coronatum Romano triumphantium more in vrbis Heidelbergæ Capitolium vehant atque deducant, pro meritis te & dignitate tua te excipient, & dies quasi festos atque solennes in honorem tui celebrent : triūphus enim ille & publicus honor tuæ virtuti debetur. Ego verò Dux Casimire fortissime, hujus nostri exercitus nomine, quem Elector Illustrissimus tanquam pater sua munificentia & liberalitate foyet atque conservat, qualicunque oratione te excipiam: quam vt animo clementi audias & alterum quasi Pompejum te nobis præstes, supplices precamur: Pompejus enim ex Asia victor rediēs, Rhodi & Athenis publicos artium liberalium professores audivit, eaque res honori illi sempiterno fuit : Sic tu Casimire Illustrissime, qui militari fortitudine Pompejum te in Gallia præstitisti, eundem te nobis, in hac oratione audienda, præstato.

Primum vero de causa susceptæ tuæ expeditionis justissima, & laude inde consecuta verba faciam: Deinde ad Deum Opt. Max. pro pace Galliæ & Ecclesiæ suæ restituta gratias, & pro eadem conservanda preces perorabimus. Sed antequam rem ipsam aggrediar, vos omnes obsecro atque obtestor, ut si balbutire vobis potius videar, quam dicere non solum id rei à me susceptæ magnitudini, verum etiam ingenii mei imbecillitati tribuendum putetis.

Salve igitur, Dux Casimire Heros christiane & fortissime: salve pacis & regni Galliæ conservator inclyte: salve scelerum & injuriæ christianis illatæ vindicator justissime: salve Princeps regia Palatino rum Ducum familia dignissime, imò totius Germaniæ præsidium & Germanorum Principum lux & decus salve. Quę obsecro ad arma in Galliam proficisciendi tibi causa extitit? Num ambitio? num dira regnandi cupiditas & hostes spoliandi immanitas terapuit? Minimè verò. Sed patris tui Illustrissimi, & tuus erga regnum Galliæ amor, fauor, studium & benevoléria, vtriusque vestrum in Dei Opt. Max. majestatē pietas, in homines christianos bellis continuis vexatos & ferè extinctos misericordia & humanitas, imò universæ Gallicanæ reipublicæ necessitas. Nam quis ignorat Aulę Palatinæ Duces apud Reges Galliæ semper amicitia, dignitate & authoritate valuisse plurimum: prę ceteris vero hunc nostrum Electorem apud Galliæ reges, Duces, Præsides, & cujuscunq; generis ordines semper fuisse gratiosissimum. Te enim Elector Friderice Illustrissi-

mc,

me Francisci Regis aula à puero educavit, fides in periculis & bellis toti Galliæ probavit, mira cum gravi severitate conjuncta humanitas multis viris principibus & exteris nationibus commendavit.
(Dicam enim liberè & ingenuè assentationis suspicionem nihil veritus, cum non solum præsentium viventiumque permultorum hominum memoria, verum etiam hujus seculi posteritas isti tuæ gloriæ & laudi fidem sit factura) te, inquam Friderice Elector animi integritas vitaque sanctitas in toto Galliæ & Germaniæ regno celebravit. Ad te igitur literæ ex Gallia adferuntur, quibus regni Duces & præfides pro necessitudine, quæ tibi iam pridem (ut dixi) cum illis intercesserat, caussam Galliæ periculaque rerum suarum deferebant: quibus inquam ad bellum pro salute Galliæ administrandum Casimiri Imperatorem deposcebant, atque expetebant. In illo enim uno scientiam & prudentiam esse belli gerendi eximiam, virtutem singularem, authoritatem summam, fortunam diuinam, iam ante edocti fuerant, & secundo ejus adventu hostium impetus repressum & retardatum irisperabant. Quid igitur faceres Dux Casimire Illustrissime? Potuisset sanè te retinere res familiaris, fortunæ & conjunx, multorum principum Germanorum amicitiæ, consuetudines, vicinitates, potuisset te retinere aula patris & regia splendidissima, & patria ipsa quæ omnia quantum voluptatis, quantum charitatis habeant vix dici potest: potuisset te non solum iter longinquum & pericolosum, verum etiam hostium insidiæ

dię, quibus tot principes antea nefariè trucidati & è medio sublati erant , detergere. At tu contra audientior ibas , nihilque avita virtute & fortitudine Ducis & principis dignius existimabas, quām exercitum confidere, Gallicanæ Reipub. tot calamitatis & bellis intestinis labefactatæ & ferè collapsæ succurrere, imò tuam salutem posteriorem communī Christianorum salute ducere. Quanta vero expeditionis suscipienda belliisque gerendi necessitas fuerit cogitate. Vocabatur in periculum atq; discri-
men non solum multorū Ducum, Principum, Co-
mitum, Nobilium, Plebejorum, & ciuitatum Gal-
liæ salus & integritas , verum etiam sociorum regni
& finitimarum populorū incolumitas , nec solum
finitimarum gētiūm incolumitas , verum etiam co-
ronæ Galliæ dignitas, nec regiæ solum Coronæ di-
gnitas, verum etiam quod omnium maximum est,
Christianorum in maiestatem Dei pietas. Afflictissi-
mum enim & turbulentissimum illum regni Gallie
statutū paulisper, & quantum tēporis fert angustia,
recordemur: ita tamen auditores humanissimi , vt
prō vestrā humanitate horrendæ istius crudelitatis
& calamitatis commemorationē nihil vos commo-
uere aut perturbare patiamini. Quantas res impie-
tas in rebus sacris, furor in flagitiis, feritas in latroci-
niis, crudelitas in homicidiis , injuria in cōtumeliis,
iniquitas in judiciis, perfidia in pactis & promissis
efficere vñquā potuit, eas omnes miseri & innocen-
tes Christiani per annos ferè sedecim pertulerunt.
Ecquid enim in orbe terrarum Christiana religio-

ne

ne divinius est? Nihil est. Dei enim patris, Dei filii, Dei Spiritus Sancti sermo & voluntas est. An quicquam verius est? Nihil est. Veritas enim Dei est, quæ nihil potest esse verius. An quicquam est antiquius? Nihil est. Æterna enim Dei sapientia est. An quicquam humano generis salubrius est? Nihil est. Animi enim perturbati & cōscientiæ afflictæ tranquillitas est, pax, cōsolatio, vita æterna. An quicquam ad Satanam profligādum, & impios hominum conatus frangendū fortius & validius est? Nihil est. Gladius enim Dei est cœlitus Christianis porrectus & datus. Sed res tam sancta & divina, tam vera, tam antiqua, tam salutaris & necessaria una cum authore suo Deo repudiari & quasi sedibus suis exterminari cœpta est, hominibusque impiis causa extitit, ut nusquam fuerit

nec hospes ab hospite tutus,

Nec sacer à genero, fratrum quoq; gratia rara.

Quid dicam de bellorum ciuilium subitis & continuis incendiis, quæ inde exorta sunt, & regnum florētissimum vastarunt, & ferè extinxerūt? Quid dicam de cædibus horrendis, quibus tot principes & sanguine regio oriundi duces, tot comites, tot nobiles viri, matronæ, virgines, tot urbium gubernatores & Senatores, pueri atque infantes innocentissimi, in matrum vtero & visceribus adhuc latitantes, crudeliter dilaniati sunt?

Non mihi si linguae centum sint, oraq; centum,

Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas,

Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Vos enim hic Parisienses, Lugdunenses, Aurelianii,
Rhotomagenses vici & plateæ, vos inquam tantæ
cruelitatis testes imploro atque obtestor, quæ san-
ctissimorum hominum cadaveribus obrutæ atque
repletæ fuistis, quæ sanguinis Christiani flumine
maduistis, nec corpora semiviva ex alto deturbata
præ hominum rabie & furore continere potuistis.
Per universas urbes homines furiosi & scelus anhe-
lantes cursitabant, quibus arida Christiani & inno-
centis sanguinis siti fauces inflammatæ erant: qui-
bus oculi ardebat: nihilque ex immani facie & ore
quàm crudelitas emicabat, qui omnes Christianos,
vel saltem de Christiana religione suspectos, ad cę-
dem denotabant, qui Christianorum domos vi &
ferro oppugnabant, quę tamen communia homi-
nū perfugia esse solent, & ita sancta, ut ab istis quę-
piam abripi maioribus nostris nefas fuerit, nedum
in illis trucidari. Crudelis illa, ô Christiani, corpo-
rum carnificina fuit, sed multo crudelior & intole-
rabilior illa animarum fuit, quę secuta est. Nam ur-
bium gubernatoribus atq; præfectis & Ecclesiarum
præsidibus, imperabatur, ut non solum diligenter in
illos inquirerent, qui ad Missam non accederent, ve-
rum etiam illis, qui metu supplicii ad eam adibant,
abjurationis formulam præscriberent, qua profite-
retur se ab impia & impura doctrina (sic enim Chri-
stianam appellabant) imprudentes olim fascinatos
fuisse, & nulla vi aut metu coactos, sed sponte & sua
volun-

voluntate ad Papę Romani gremium deficere. Horrenda ista in Christianorum corpora & animos crudelitas & tyrannis tantopere pontificiis ipsis, in quibus aliquid adhuc humanitatis erat, displicuit, ut multi paulatim se ab impio istorum hominum cætu abstraxerint & segregarint, & velse Christianis adjungere, vel voluntarium exilium subire maluerint, quām horrendæ & nefandæ istius crudelitatis spectatores esse. Non dicam jam de justitiæ, iuris, æquitatis, legumque omnium violatione, quæ per universam ferè Galliam nunc annos aliquot regnavit. Nihil adversus improbissimorum hominum tumultus & seditiones parlamenta valuerunt, nihil magistratus, nihil authoritas senatus, nihil judicia, nihil supplicia: sed summa omnium scelerum fuit impunitas, & justitiæ atque æquitatis tribunal, in-justitia, iniquitas, vis, & injuria occuparant. Non dicam de varietate, inconstantia, & crebra ut tempe-statum, ita veræ religionis & pacis in superstitionē bella atque disidia commutatione. Abdicabantur magistratu homines trāquilli & pacis amantes: suc-cedebant seditionis signiferi & stimulatores, vulgi & multitudinis concitatores, Ecclesiæ Dei depopu-latores. Non jam enumerabo infinitos illos exules omnium generum, ætatum & ordinum, viros, mu-lieres, adolescentes, puellas & infantes, qui omnibus bonis exuti & patrimonio suo partim vi ejecti, par-tim verò sua voluntate cedentes, in universum ferè terrarum orbem effusi & dispersi sunt. Omni enim

pietate, religione, justitia & æquitate exterminata,
nec sibi in Gallia locum esse posse aut fore existima-
runt. Sed quorsum hæc commemoro? quorsum? tu
intelligere possitis nullum ferè multis seculis bel-
lum tam necessarium fuisse, quam hoc bellum
Gallicanum fuit. Denique Dux Casimire Illu-
strissime, si Germanorum quondam principum &
populorum quasi proprium prædicatur longè à do-
mo bellare, & imperii sui propugnaculis exterarum
gentium fortunas salutemque defendere, quantò
magis laudabile tibi fuerit, pro Christianis & Chri-
stiana religione conservanda bellum gerere? Noli
hic audire, sed contemne potius inanes illas, ne di-
cam impias voces, quibus tibi tuæq; laudi inviden-
tes hic orationi meæ obstrepent & vociferabuntur:
Christianam religionem armis propugnandam nō
esse, Sed Dei Spiritu propagari. Heus igitur Chri-
stiane, si modo Christianus sis, quisquis ita judicas,
Ad quid tantam vim atque potestatem Regibus &
principibus divinitus datam atque concessam esse
arbitraris? Num ad ociandum? Num ad comes-
sandum? num ad venandum? num ad opes & regna
sua amplificandum? Negabis, opinor, nisi principū
auribus aliquid dare velis: & ad improbos extirpan-
dum, ad probos tuendum, ad pacem & tranquillita-
tem publicā conservandum, præcipue verò ad glo-
riam Dei, quæ omnium humanarum actionum sco-
pus & finis esse debet, celebrandum, si christianus
es, affirmabis. Aliud igitur esse intelligito christia-
nam

nam religionem propagare, aliud jam propagatam
conservare, & ab impiorum hominum injuria chri-
stianos vindicare. Illud Dei & Spiritus Sancti mu-
nus proprium est: hoc verò omnium christianorū
principum cum Deo ipso commune. Dii enim Re-
ges & principes appellantur. Ne longius ad sancti-
flimorū patrum exempla abeamus, Mosis inquam,
Iehosuæ, Samuelis, Davidis, recordemur hac nostra
memoria Illustrissimorum & fortissimorum He-
roum exempla, Ioannis Friderici Saxonis, & Phi-
lippi Hassiæ Landgravii: quos utinam hodie, Dux
Calimire, à mortuis ad tuas partes revocare mihi
piè fas esset. Multo verò minus hic tibi audiendum
fuerit, nihil Germanis principibus cum exteris re-
gnis negotii esse. Vbi igitur ille fraternus & mutuus
christianorum amor statuetur? ubi perpetua illa
animorum non solum in hoc mundo verum etiam
in altera illa & beata vita conjunctio? ubi illa Sancto-
rum communio? Nihil igitur christianiorum salus
ad nos attinet, nihil gloria Dei ad nos eo modo at-
tinebit. Quamobrem, Reges & principes inanes
istas, inhumanas, & impias voces repudiate, & po-
tius vocem divinam auscultate. Animus meus pro-
pensus est (ait Spiritus Sanctus per Deboram Iudic.
v.) erga eos qui mandata sustinent Israelitarum er-
ga eos qui se sponte offerunt in populo: benedicite
Iehovæ. Ait Debora non solum erga duces militiæ
Deum propensum esse, verum etiam erga milites
gregarios, quis uia sponte & vltro ad vindicandum

Dei populum venerat. Præterea vero singulari Dei beneficio jam ante vera religio in multorum hominum animis per universam Galliam infixa erat, imò etiam legibus & authoritate regia cautum & imperatum, ut liberè christianam religionem exercere & profiteri cuivis permitteretur. Non igitur à Duce casimiro ejusque sociis bellum suscepimus est, ut novare religio in Galliam introduceretur, sed ut jam antè introducta, & judicia, fides publica, regiorumque edictorum autoritas conservaretur, & pax publica contra Tyrannos, qui regiam & principum Galliæ dignitatem violabant, restitueretur.

Sed qua ratione quantaque felicitate bellum tam necessarium, tam grave, tam periculosum, tam diuturnum, à Duce casimiro vno ferè anno confectum sit, audiamus. Affirmare ausim, Dux casimire divino te consilio ad tumultus illos bellicos sedandos natum & gubernatum esse. Sic enim omnia à te administrata atque confecta sunt, ut difficile sit dictu utrum hostes magis virtutem & robur tuum reformidantes, quam pietatem, mansuetudinem admirantes, victi superatiq[ue] sint. Quæ quidem ho stes superandi ratio, non solum non tuæ fortitudinis laudi detrahit, verum etiam multò ampliorem & illustriorem eam reddit. Quis enim dubitabit quantum virtute tua perficere potuisses, qui tantū mansuetudine perfecisti, aut quam facile armis atque exercitu adversariorum copias dissipaturus fuisses, qui ipso nomine atq[ue] prælii rumore aduersariis formidabi

midabilis fuisti. O igitur te Imperatorem Dux casimire prudentissimum. O victoriam tuam felicissimam, quæ sine cede & sanguine reportata est. Nam si cruenta fuisset, dolorent jam & ejularēt orphani, dolorent viduæ, dolorent milites vulnerati & semi-vivi, dolorent Germaniæ & Galliæ urbes, unde ad illud bellum missi erant, quibus cæsis & amissis Germaniæ & Galliæ ornamenta atque præsidia amissa fuissent & cecidissent. Jam verò lœtatur tui milites, lœtantur ipsorum liberi, conjuges, parentes, cognati & amici, lœtatur Germaniæ & Galliæ urbes: quia exercitus salvo & in columni conservato, se ipsas conservatas & restitutas esse arbitrantur.

Nulla salus bello pacem te poscimus omnes.

Sic bella ab Imperatoribus geri & administrari voluit fortissimus ille Scipio, cum diceret, nunquam cum hoste configendum esse, nisi commodissima & maximè idonea occasio præberetur, imò nisi summa & extrema armis decertandi necessitas adferretur. Sic bella gessit & administravit Q. Fabius Maximus à quo ocioso & quieto, Hannibal, omnium, qui omni memoria fuerunt ducum ferocissimus, magis sibi metuit, quam à Marcello pugnante & tandem cunctando superatus est. Sic bella geri & administrari voluit Imperator Antonin⁹ Pius, qui unum civem conservare maluit, quam hostes mittere trucidare. Sic bella geri & administrari voluit C. Cæcilius Metellus cui munitissimā urbē obsidenti, cum quidam militum præfectus diceret: Si Metelle

militum decem jacturam facere voles, facile urbem expugnabis & capies. An tu , ait ille , in istis decem numerari velis? Sic M. Tullius Romanæ militiæ Imperator rebus domi militiæq; gestis præstatiſſimus, bella geri & administrari voluit : qui toties ſe pacis authorem publicè prædicavit, & temere in acie verſari & manum cum hoſte configere immane quidam & ferarum ſimile eſſe duxit. Quare magnum proſrus Dux Casimire , prudentiæ Imperatoriæ exemplum hic in te animadvertendum eſt, qua nihil quicquam à te in iſta expeditione & bello præcipitatum eſt, ſed ita momenta rerum in utramque partem pōderata, vt non tam gloriam tuam, quam totius Galliæ incolumitatem & pacem ſpectaſſe videaris: ſic inquam omnia à te administrata & confecta ſunt, vt tantum mansuetudine perfeceris, quantum fortassis nunquam signis collatis & pugnando perfeciffes. Quas enim res & quantas perfeceris ex publico illo regio edicto per totum Galliæ regnum promulgato cognoscamus. Imperat Rex vt Dei Opt. Max. laudes , per vniuersum Galliæ regnum hymnis & psalmis celebrentur: vt Euangeliū Christi & literæ ſacræ annuncientur & doceantur: vt Sacramenta à Christo instituta celebrentur: vt nullæ quæſtiones , nullæ inquisiſtiones aut clandestina consilia aduersus christianæ professionis homines instituantur & capiantur: vt libri ſacri importentur & vendantur: vt christiani ad Missam aliasq; cæremonias non cogantur : vt ædificia & templum ad

ad christianam religionem publicè exercendam
extruantur : ut Rex Navarræ , Dux Allenconius,
Princeps Condæus, Dominus Danvilleus in pristi-
no dignitatis loco collocentur & habeātur:ut Am-
miralio sanctissimo christi Martyri & viro nunquā
satis laudato ejusq; liberis, honos, existimatio bona
farta tectaque ab omni incommodo atque detri-
mento conserventur:ut omnes Franciæ Magnates,
Equites Aurati, Nobiles, Officiales, omnium lo-
corum incolæ & exules restituantur, pristinaq; li-
bertate, privilegiis, & immunitatibus fruantur:ut
domus & mœnia per superiores tumultus diruta &
vaftata renoventur: ut liberi commeatus & com-
mercia per totum Galliæ regnum restituantur &
exerceantur : ut Christianis hominibus honores
publici dignitatum & munerum decernantur &
committantur : ut viduæ , viduarumque filii & fi-
liae eorum, qui per tumultus illos trucidati sunt, ab
omnibus tributis & oneribus immunes habeantur:
ut literarum studiosi nullo discrimine religionis ha-
bito ad Academias & scholas admittantur: ut pau-
peres & ægroti cuiuscunque religionis sint nosoco-
miis & xenodochiis recipiantur : ut omnes captivi
& ad remos affixi carcere eripiantur & solvantur.
Quid?quod Elector Illustrissimus & Dux Casimi-
rus filius in Regis cognatis & amicis charissimis
numerantur , expeditioque à Duce casimiro susce-
pta non bellum, sed obsequium Regi præstitum ap-
pellatur? Præclarum equidem ad nominis immor-
talitatem est, Dux casimire, belli pro totius regni

salute & concordia suscepti Imperatorem designari: sed longè præclarus est, immò divinum, ita omnia administrare & confidere, ut non bellum gefisse sed obsequium præstissem dicaris. Sed unde tibi tanta belli administrandscientia & prudentia? unde tam felix & literis monumentisque prædicanda victoria?

*Onimium dilecte Deo tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad clausa venti.*

Liceat enim mihi versibus claudiani sic te affari. Nam (mihi crede) æthera tibi militarunt, id est Dei & Angelorum ipsius præsidia te bis nunc salvum & in columem nobis conservarunt, & bellum Galliæ periculosem perte confecerunt. Sed pacem tibi divinitus dari & datam esse non solum signis & vexillis tuis declarasti in quibus scriptum erat **D E C O E L O V I C T O R I A:** verum etiam coram urbis Heidelbergæ Senatu amplissimo & universa civitate aperta voce significasti. cum enim illi omnes armati tibi procederent, & publica solennitate & lœtitia in agro Heidelbergensi te exciperent, tibiique de salvo & in columi reditu laudabile victoria gratularentur, & serto aureo laureatoque caput tuum coronarent, satis splendidè primum differuisti, non tē tua voluntate aut temeritate quadam impulsū, sed legitima & publica vocatione ad arma profectum esse: deinde nō tibi sed Deo in cœlis victoriam hanc tribuendam esse dixisti: ô vocem piam & christiano Imperatore dignissimam. Quamobrem de tanto filio & Duce gratulamur tibi ô Friderice Elector

Etor Illustrissime, gratulamur tibi Aula Palatina,
gratulamur tibi universa terra Palatina, gratulamur
nobis ipsis, gratulamur tibi Germania & Gallia.
Omnium enim Ducum Palatinorum qui fuerunt,
sunt, aut erunt, bellicę laudis gloria facile princeps
erit, & tam felici victoria æternam sui nominis me-
moriā posteris consecrabit. Pr̄edicent alii Alexan-
drī liberalitatem, Pompeii fortitudinem, Trajani
bonitatem, Caroli Magni virtutem: Eduardi primi
integritatem: Ludovici duodecimi probitatem:
tuam, Friderice Elector, in tanto filio, felicitatem,
& utriusque vestrum in christianis juvandis & glo-
ria Dei propaganda pietatem, supra omnes huma-
nas laudes altissimè eminentem, non solum qui
nunc sunt christiani pr̄edicabunt: verum etiam qui
futuri sunt & sine odio atque invidia judicabunt.
Tu vero Dux casimire Illustrissime, hanc memo-
riam, hanc posteritatis æternitatem animo comple-
ctere & meditare, & ad eam non solum conservan-
dam verum etiam amplificandam, omnibus animi
& corporis viribus incumbe. Magnum est te sum-
mi Electoris Germanię esse filium: longè majus est,
te pacis & concordię conservatorem, Palatinorum
Ducum lumen, imò totius Germanię & Gallię de-
cūs appellari: omnium vero maximum est, christia-
num Principem & Ecclesię Dei pr̄esidium & asy-
lum in hac terra pr̄edicari. Hęc nomina qui verè ha-
beat, non ego illum cum summis & principibus vi-
ris comparo, sed similimum ferè Deo judico. Olim
Imperatores ad militiam & fortitudinem bellicam

Poëtarum carmina, hymni, ludique solennes, trophya, monumenta, statuę, dies festi, annua sacra & triumphi excitabant, talia inquam, quę nulla ferè sunt, & viro forti contemnenda. Te verò Dux casimire ad christianam Ecclesiam, à Tyrannorum impetu, si necessitas requirat armis propugnandam, ejusque salutem conservandam, æterna tui nominis & preclarè factorum memoria excitabit. Nulla enim unquam oblivio tuas laudes in Gallia aut Germania imò tota Europa obscurabit, sed dum hominum genus fuerit, te non solum vivę variorum gentium lingue prædicabunt, verum etiam Germanorum & Gallorum annales atque vetustatis monumenta celebrabunt. Excitabit te corona illa & laurea immortalis & triumphus ille cœlestis, in quo Deus te omnesque pios principes cum universo christianorum militum exercitu in omne çum coronabit.

Quantas res effeceris, Dux casimire Illustrissime, & quantas inde laudes apud omnes populos consequaris, pro ingenii mei tenuitate dixi. Reliquum nunc est, ut Deo Opt: Max: pro pace Gallię & Ecclesiæ restituta gratias peragamus, & ejus conservationem & constantiam ab eodem deprecemur. Gratias igitur agimus tibi Deus cœli & terræ creator, omnis concordia atque pacis auctor conservator & moderator, non quidem quantas æterna tua & infinita Majestas tuorumque erga nos beneficiorum magnitudo & amplitudo requirit: sed quantas mentium humanarum imbecillitas & medocri-

diocritas ferre & peragere potest. Quis enim bellum istud confecit? Tu virtute tua & providentia Deus Opt: Max: Quis iracundos hostium animos à bello ad pacem & concordiam traduxit? Tu potentia tua miranda Deus Opt: Max: Quis nobis Illusterrimum principem casimirum salvum & incolumē cum exercitu reduxit? Tu pro bonitate tua inexhausta, Deus Opt: max: Quamobrem gratias tibi agimus ô pater & princeps in cœlis æterne, qui nos pro ecclesiæ tuæ salute & universi exercitus in columitate deprecantes è throno Majestatis tuæ exaudivisti. Gratias agimus tibi Jesu humani generis salvator optime: qui nobis patrem iratum reconciliasti, & Principes Christianos tuæ ecclesiæ patronos procreasti: Gratias tibi agimus ô Spiritus æterni patris & filii vis æterna: tu enim afflatu tuo & numine sanctissimo piorum principum animos ad Christianos tutandos & conservandos & pacem colendam gubernasti, & confirmasti. Oramus te Deus iterum iterumque, obsecramus, & obtestamur per filium tuum Christum Jesum, ut pacem illam & tranquillitatem ecclesiæ tuæ constitutam moderari velis, & omnes reges & principes veræ pietatis amantes & pacis alumnos, cum primis vero hunc nostrum Electorem Fridericum & Ducem Casimirum filium, cunctosque Germanię principes Christianos tuę ecclesię difficilimis his & maximis temporibus conservare eorumq; mentes, cogitationes & actiones universas ad tui nominis gloriam & Christianorū salutem, & pacem publicam

atq; concordiam velis convertere. Regem Gallię ut appellari consuevit, omnium regum christianissimū efficio, & tam exitiali, diuturno funestoq; bello penitus extincto, Evangelii tui solem clarissimū in Galliam reducito, ejusq; radiis, non solum Galliæ populos verū etiā omnes universi terrarū orbis angulos, si fieri potest illustrato. Verbū enim tuū pedibus nostris lucerna est, & lux semitæ nostræ: qua extincta vel saltem obscurata, sol ipse mundi extinguetur & obscurabitur. O miserā illam & desperatā gentē quæ tui verbi luce privata est: perpetuæ enim ibi tenebræ sunt, perpetua mœstitia, nulla cōsolatio, sed execrāda & horrenda desperatio. Ah Deus, si nos & nostrā dignitatē respicias, dignissimi sumus & ab incunabulis meriti, à quibus verbū tuum & spiritū sanctū auferas, quos signi, ferro, belloq; persequaris, quos Satanę & Tyrānis dilaniandos relinquas, quos iræ tuæ justissimæ fulmine ad terrā affligas, & cōminuas, quos deniq; in ima & funesta inferorum tartara deturbare & præcipitare justo tuo judicio queas. Qui enim sumus, ah Deus? filii hominum sumus, quos si è celo intuearis, nec unus quidē fuerit, qui coram facie tua sancta justus & culpa vacans consistat. Sed in te patrē nostrū liberi degeneres, immorigeri, rebelles, protervi & cōtumaces sumus: in fratres nostros duri & ferrei, perfidi, impii, malevoli: deniq; natura corpore & animo quanti quātis sumus corrupti, depravati, perditi, & peccatorū scelerūq; sordibus ab imis pedibus usq; ad verticē summū cōtaminati & polluti. Sed parce nobis & miserere

miserere nostri Deus, non propter nos & merita no-
stra quæ nil nisi peccata sunt, sed propter divini tui
nominis gloriæ. Non nobis Domine, non nobis, sed
nomini tuo da gloriæ, propter gratiam & veritaté
tuæ. cur enim gētes dicent, ubi Deus eorū est? Parce
igitur nobis & miserere nostri in Jesu tui filii gratiæ,
quem quia vnicè & summè amas, nunquā nos odif-
fe & repudiare potes: frater enim noster est, libera-
tor, salvator, mediator & corā facie tua pro peccatis
nostris deprecator. Facies illud, mi Deus, pro boni-
tate, misericordia & clementia tua. Ipsa enim boni-
tas es, ipsa misericordia, ipsa clemētia, & quanta est
coeli à terra distantia & altitudo, tanta est tuæ boni-
tatis, misericordiæ, clemētiæ, & amoris erga genus
humanū magnitudo. Nihil igitur timemus, quoniā
tu Jehova Deus noster es in medio nostri Deus ma-
ximus & terribilis, Deus inquam Deorum & Do-
minus Dominorum. Ut populum tuum con-
serves & à crūctis hostiū manibus vindicares, fla-
tu nariū tuarū aquas coacervasti, quibus Pharaonē
cum equitatu & omnibus copiis demersisti. Debel-
lasti & delevisti per duces tuos, Hamalecitas, duode-
cies millenos homines Haii die uno, reges Ieruschla-
laimorū, Chebronis, Jarmuthi, Lacischi, Heglonis,
Midianitas, Schecemitas, Hammonitas, Emorēos,
Ephrajimitas, Pelischtæos, Benjaminitas, & alias gē-
tes multitudine innumerabiles & locis ferè infini-
tas populū tuū persequentes & infestantes. Adver-
sus populi tui hostes ipsa mundi Sydera è cæli agge-
ribus, & elemēta omnia pugnarunt. Quamobrem
Jehova

A 2141 827

24

GVIL. ROD. ORAT.

Jehova, qui in operibus tuis magnus & terribilis es,
qui in cœlis potens & bellicosissimus, Deus exerci-
tuū, surge, surge inquā, & Pharaones illos hujus se-
culi, Nabucodonosores, Julianos sanctæ tuæ Majes-
tati illudentes, Christianis tuis insultatæ cohibe, &
furores illorum & fremitus adversus Christū tuum
eiusq; membra comprime: corda illorum saxeа &
impia, in mollia, humana & pia conuerte: in manu
enim tua sunt. Ostende te illis non solum terræ &
cæli gubernatorem summum, verum etiam omnis
idololatriæ, impietatis, & crudelitatis vindicatorē
& ultorem acerrimum. Sin vero animo prorsus ob-
stinato & obdurato tibi tuoq; spiritui sancto repu-
gnare pergaт, & patientia tua abuti, dextera tua for-
ti illos cōfringe & sceptro illo ferreo tanquam vasa
fictilia contere, magnitudine potetiæ tuæ illos sub-
verte, immittre contraillos iræ tuæ furorē, quo tam-
quam stipule consumantur, & in auras evanescant:
ut ita fluctus componantur, & sævissimæ tempestati-
tum procellæ sedentur, quibus ecclesiæ tuæ cymba
jactatur & quassatur: ut ita divinæ & æternæ tuę
Majestatis gloria & splendor illustretur atq; magni
tui nominis laus & honor in hac terra, & in
æterno illo omnium beatorum trium
pho ab omnibus Christianis una
voce, uno ore, una anima
celebretur.
Amen.

F I N I S.

adspicitur. *Et si non erit*

stū: nec op̄: tem̄pusse nesciu-

us: ita tristū depe. s̄. om̄e

tempus q̄: sentire ḡtem q̄m

q̄: p̄m̄ et q̄m̄ sentire t̄llo

institutio t̄p̄: nō app̄t̄n̄de

ope quod sit. **Sentimentū**

tempus etiam cūnatiōm̄

tempus cūnatiōm̄

sentire p̄p̄t̄p̄. r̄. m̄r̄c̄

sentire fōm̄ q̄m̄t̄. **Tempo**

tempus est uop̄ tempus neq̄

resuā q̄d̄ sentire. nō

tempus acq̄m̄ uti nō

tempus, sed si et quedam u

in genito tempis zām̄

temporū onto app̄t̄p̄t̄. **Si**

etū totam uide sentire t̄llo

exstituo resuēdo. nō sic

h̄c aliquid autē t̄llo

nō sentebat: longi illi am

tud: ut illius autē uidebatur

et in qua diuine uer: depl

ter longe. q̄: nō uidebatur

sc. nec q̄m̄t̄p̄: et in nobis dō.

causa autē est in uite dō.

Q̄d̄ nūm̄t̄p̄: et cap̄p̄ nūm̄

uice h̄m̄e. Deparmentū

dā combīnōne cōndānāt̄

ope muta sim̄i sentire ut nō

est altrōce, nūm̄m̄

muta ad muta. p̄p̄t̄

Sentire an estū op̄: stām̄. sc̄

sentire nō inuidāt̄b̄s. q̄:

et inuidāt̄b̄s. et op̄: p̄p̄t̄

et que fām̄nt̄p̄: sentire est

tempus v̄t̄m̄ op̄: p̄p̄t̄

et que fām̄nt̄p̄: sentire est

dā usum instruēt̄cēt̄cēt̄

autē fām̄nt̄p̄: sentire est

autē fām̄nt̄p̄: sentire est

autē fām̄nt̄p̄: sentire est

autē fām̄nt̄p̄: sentire est

5912c 5915.

